

*rationalem esse compositam ex subjecto & accidente, & per consequens unum per accidens. Posterius hoc est absurdum. E, & prius &c.*

§. 10. Ex his constat, quod Voluntas non sit in anima tanquam in subjecto, sed tanquam in eo, quod per modum subjecti concipitur, non secus ac aliàs in Metaphysicis attributa Entis esse in ipso Ente dicuntur. Frustra ergo sunt Romanenses, qui contra nostrates Theologos ita colligunt: Una virtus non potest esse in duobus subjectis realiter invicem distinctis. Fides est una virtus, intellectus verò & voluntas sunt duo subjecta realiter distincta. E. Fides non potest esse in intellectu & voluntate, & per consequens non potest consistere in notitia & assensu, quæ sunt actus intellectus, & in fiducia, quæ actus voluntatis est. Nam in hoc rotiocinio tamdiu negatur alterum membrum minoris, quamdiu suam de reali potentiarum animæ distinctione hypothesin firmis & stringentibus rationibus probare non possunt.

§. 11. Porro in definitione voce *boni* exprimitur Objectum. Cum enim Voluntas sit appetitûs species, appetitûs verò tanquam genus, ita fatentibus Philosophis, sit tantum boni, liquet, quod idem quoque asserendum sit de Voluntate. Deinde Voluntas tantum fertur in id, quod sibi est conveniens: Sed solum bonum est conveniens. E. Et quid opus est verbis, ubi testimonia rerum adsunt? Testatur quilibet, qui secum experitur, se nihil velle, neque videre ullum alium aliquid velle, nisi aliquâ ratione boni interveniente.

§. 12. Tam latè itaque se extendit Objectum Voluntatis, quàm latè bonum patet, ita non solum bonum verum, sed & apparens, non solum honestum, sed etiam utile & jucundum complectatur, quò respexisse videtur Aristoteles, quando in principio Eth. ad Nic. ex aliis auctoribus

bus